



deat quotus minor. Tunc igitur solum celeritates ex actionibus mutuis aequales sunt, quando massae aequales sunt. Nam cum fit  $MC = mc$ , si ponatur  $M = m$  erit quoque  $\frac{MC}{m} = \frac{mc}{M}$  adeoque  $C = c$  (axiom. 6. Coroll.)

COROLLARIUM. Ex dictis patet ratio, cur magnes & ferrum suberi imposita & aquis libere in-  
 natantia ad se mutuo accedant celeritate  $=li$ , si  
 massae  $=les$  sint, aut si inaequales sint celeritati-  
 bus massis reciproce proportionalibus, atque adeo  
 quantitate motus semper aequali. 2. Cur ferrum  
 ad magnetem, aut magnes ad ferrum accedat, si  
 alterutrum corpus manu tenens, a motu impedias.  
 3. Cur detur mutuus cymbarum accessus, si in  
 una constitutus conto alteram ad te trahas, reces-  
 sus vero alterius ab altera, si unam abs te repel-  
 las. 4. Ex eodem capite navium per remos & vela  
 promotio, piscium natio, avium volatus, anima-  
 lium incessus & quicumque demum mechanici effe-  
 ctus explicatum habent. Vid. cl. KEILLIUM  
*l. supra cit. a pag. 117. ad pag. 122.*

### C A P U T III.

*Mensura motus tam in conflictu quam extra  
 conflictum.*

#### §. I. DEFINITIO I.

**M**assa est quantitas materiae quae cor-  
 pus constituit. Massa,

COROLLARIUM. Cum nihil ponderet nisi mate-  
 ria, eo major erit massa, quo majus est pondus;  
B adeo-